

Mans. Postbl. Halle / Saale

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI;
DN. DAN. LVDOLPHI;
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

H

Db. 6.
Db. 6.

1.
2.
2b
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.

1. Wircker, Balthas. Ἐπιτάφιος λόγος cineribus Cyriac. Herdesiani.
- 2^a Schrader, Chph. Oratio memoriae Georgii Calixti habita.
- 2^b " " " in obitum Conr. Horneji habita.
3. Schneider, Mich. " " " Jo. Gerhardi "
4. Pastorius, Joach. Joanni Casimiro, ... regi Poloniae et triumphales laureas facesq.
in Prussiam suam inferenti felicem ingressum gratulatur.
5. Schuppins, Joh. Balbh. Diss. praeliminaris de opinione.
6. Wendelin, Marc. Frd. Panegyricus parentalis Christiano sen. principi Anhaltino
et dictus a —.
7. Heider, Woffg. Oratio parentalis de vita et morte Christiani II., electoris, ducis Saxon.
8. Rixner, Anr. " De intestinis ecclesiae Christianae dissidiis.
9. Dresser, Matth. " De curriculo vitae Jo. Cratonis à Craßheim. Item meletemata
quaedam Joann. Crat. plena fide et consolatione.
10. Lectus, Jac. " De ... principis Friderici Mauricii Anhaltini vita et obitu.
11. Jessenius, Jo. à Jessen. De vita et morte Tychoonis Brahei oratio funebris.
12. Sturcius, Chph. Oratio de Sigismundo Augusto, duce Megalopolitano. 5 Septbr. t.
13. [Ludovicus XIV], Epistola regis Galliarum — ad ordines imperii, cum libello ejusd.
regis Plenipotentiarum [Roberti de Gravell], ordinum legatis ad
comitia oblato pro obtinenda exemptione vel concessione eorum,
quae ipsi tractatu Aquisgranensi e circulo Burgundico cesserunt.
his juncta est epistola ad amicum hanc materiam exactius tractans.
14. Senatores Regni Sueriae, Literae — um ad senatores regni Poloniae super missione
Morstenii internuncii Polonici.
15. Schrader, Chph. Oratio ad ducum Brunsvicensium et Luneburgensium legatos academiae
Juliae visitatione strenue et feliciter perfunctos.
16. Morhof, Dan. Ge., Oratio de intemperantia in studiis et eruditorum qui ex ea
oriuntur morbis.
17. Schrader, Chph. Oratio habita cum acad. Juliae magistratum adiret pro prid.
Id. Januar. 1653.
18. Schrader, Chph. Oratio ad ducum Brunsvic. et Luneburg. legatos visendae ordinandae
que acad. Juliae tertium missos.
19. Zaroadzki, Casim., Gloria orbi Sarmatico. et Mich. Korybut, regi Poloniarum etc., cum
prima imperii spatia feliciter ingressus fuisset.

V. J.

20. Boecler, Jo. Hnr. Elogium Alph. Forstneri.
21. Freinshemius, Abrah. Laudatio posthuma Jo. Freinskemii.
22. Maresius, Sam. Brevis discursus de revolutionibus hujus anni
[1672] ac nominatim de feliciter soluto Groningae
obsidio.
23. Status, fatalis Hungariae —, lapidi inscriptus loco Statuae
erecto sub figura crucis in coemiterio Orientis 1670.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ
BEATIS CINERIBUS

VIRI

AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
& Excellentissimi, Dn.

CYRIACI
HERDESIANI,
Phil. & JC.

In Illustrissima Electorali ad Viadrum Academia
FRANCOFURTANA celeberrimi, & Pan-
dect. Profess. Ordinarij &c.

In Illustris Gymnasij SERVESTANI auditio-
rio dictus memoriter

à

BALTHASARE VVIRCKERO
Bernburg. Anhalt.
M. August.

SERVESTÆ
TYPIS ANDREÆ BEZELII

Exscriptus

ANNO

Veni Domine Jesu, VoCarls, Jesu Veni. (ibsi.)

Viro

Ampliss. CL. Pro
fess. at. Doctissim.
Petro à Sena,
Serrvestana Consuli,
Mistris Gymnasij
ibid. Prof. P. dign.
Fautori, Praeceptor.
Promotori etatem
mittit
Hud?



CL. Fratrum Germanorum

QUADRIGAE

Dnn.

BETHMANNO, Phil. & J. U. D.

Consultis. Cothenis Anhaltinorum Practico Excel-

J O H A N N I (lentissimo. HER-

CHRISTOPHORO Jurium Can- DESI-

CHRISTIANO didatis. ANIS.

CHRISTOPH. FRIDERICO

CYR. Filio

BALTHASAR WVIRCKER. S. D.



Am hoc ævum est ferale, Honoratissimi Dnn., Sympatriotæ, ut non Martio solum furore cruentet, sed magnorum quoq; Dynastarum, ac prælustrium Virorum funerum densitate funestet cuncta. Experimur quotidie & cum luctu maximo, quot quantiq; utriusq; , rogata, ac sagata, militia Libitinæ telis transverberentur Primipili: Quos inter Vester quoq; est B. Germanus, ac Parens, repentino prohi dolor! fato nuper extinctus. Hujus quale quale hoc, quod videtis, manibus pijs pietatis, salva pietate non intermittendum monumentum ponere volui, debui: Non equidem ut, quod proverbio dicitur, τῷ οὐκ Διὸς ἐπι- veī lucis quid accederet ab infacundo (ejus quippe divina Eruditio & Virtus, quæ intaminatis fulgens honoribus, -

Nec sumit, aut ponit secures

Arbitrio popularis auræ,

longè supra meam est & mentem, & calamum) sed quò cum in pijs- sime defunctum testarer observantiam, tum majorem Vestrum, per- lata lataq; Musarum vireta ad hoc Famæ templum grassantium par- tem, cum primis verò te, CHRISTOPH. FRIDERICE, ad au- gendam antepartæ virtutis paternæ gloriam hortarer. Accipite ergo hunc in Vos sinceri adfectus arrhabonem, meq; mutua benivolentiæ aura adspirare dignemini. Valet. De prop. Servestæ. 31. Aug. An. 1636.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZV HALLE

I. N. I.

VIta humana, Magnifice, Amplis-
mi, & Consultissimi Regiminis hujus Principalis
Dnn. Cancellarie, ac Consiliarij; Praclarissimi
Illustris Gymnasij Dnn. Rector, & Professores;
Viri itidem omnium ordinum perquam Reve-
rendi, CL., Doctissimi, Prudentissimi, Praestantissimi, Hu-
manissimi; Tuq, quae ad auscultandum confluxisti, Studio-
sa Juventus; vitæ, inquam, humanae fugacitatem fabu-
lam nonnulli cum profanarum juxta, ac sacrarum pagina-
rum scriptoribus indigitare adsolent, ea moti ratione, quod
utraque cum alterutra magnam habeat cognationem.

Sicut enim haec suis constat decoris, partibus, personis,
protasi, actibus intermediis, & epitasi: Ita quoq, & non
dissimiliter cum illâ nostrâ, quam vivimus, vitâ compara-
tum esse, nemini est obscurum. Vix lucis hujus usuram acci-
pimus, effuso eandem proæmiamur fletu, tenerisq, vagitibus
aures implemus, & auras, calamitates vitæ jamprimum or-
tae obventuras quasi praesagientes. Et licet lactea succeden-
ti aetati initio cuncta blandiri, nihil exosum, nihil acer-
bum, sed omnia grata musteaq, videantur; Id tamen, dum
incipitibus conflictari morbis, seq, quò & affectuum in im-
becilli, nec ad justam adhuc molem accreto, corpusculo a vitæ
refraenetur, & fabula jam jam inceptanda idonea efficiatur,
ferule subdere cogitur, multiplici acerbis ubertate com-
pensatur. Non multò post simul ac ex ephebis est excessum, &
juvenitis paululum defervit calor, tum unusquisque ut,
Deo facem praelucente, ad factitandam hanc artem seni-
sam, sedula vel informationis, vel naturalis evēpē vs be-

neficio, est eruditus, sic industrium agit, ut ita loquar, comē-
dum, ut, impositam representans personam, vel tedium sui,
vel applausum concitet, vel commiscrationem. Multi formes
hic, nec unius generis in hoc terrarum orbis proscenio sese ex-
hibent conspiciendos: Hic purpura fulgens, & scepro suas
sibi demandatas exequitur partes, non solum armis decora-
tus, sed etiam ll. armatus in forum suspensio procedit gradus
magnam præ se ferens Majestatem Rempubl. subjectam ca-
pesit, in subditos minimos, medioximos, maximos, cujus-
cunq; illi conditionis, mandata jaculatur fulminatrix, bo-
nos præmiis, malos pœnis afficit, religionem imperat, bella
gerit, prælia miscet. Ille togâ sagogâ inclutus, non etiam po-
stremus rerum suarum satagit; Nobili politico schemate or-
natus, quid Publicæ commodum Rei, aut damnosum; quid
Status ratio vel faciendum, vel omittendum efflagitet; quæ
LL. tam ferendæ, quàm abrogandæ, qui belli pacisve tem-
pore necessarij apparatus, & de innumeris alijs in medium
consulit, à latere Superioris sui, tanquam fidus Achates,
nunquam, vel certè rarò discedens. Nonnullos pulpita te-
nent & cathedræ, mortaliū genus & religiosum mirè, &
laboriosum. Hi statim ac in optatam impetratamq; descen-
dère arenam, sic, Summo annuente Numine strenuos se præ-
bent aētores: Alius etenim, doctrina & eloquio præstans,
succiplenis è pagina sacra decerptis floribus suos pascit Audi-
tores, ijsq; ex limpidissimis Israelis fontibus petita propinat
solamina; Alius ferram contentionis reciprocatur cum τῷ
ἀντιλέγῳ, & ut sua, sive orthodoxa ea sit, sive heterodo-
xa, semel imbibita patrocinetur Religioni, tanquam pro a-
ris, & focus depugnat. Alij deniq; sint Ulpiani & Papinia-
ni; Hippocrates & Galeni; Aristoteles & Platones; Demo-
sthenes

Stbenes & Cicerones, quod, scenam semel ingreſſi, suam ſpe-
ctatoribus, uti persona, quam nacti sunt, postulat qualitas,
probenſt industriam, nullum non movent lapidem. Ut reli-
quos hujus Comœdia actores, quorum pars magna instar
Tantalorum, vel terræ sordes, & cavernarum corradunt
ſpumas, vel vitæ naturalis dulcedine & voluptatum promul-
ſide inescati, in rota illa amatoria, pejus, quàm si saxo ſali-
ant, pereunt: Quidam grandia, funestas sæpè humano pe-
ctori faces ſubdentium, honorum fastigia ambiunt operosiùs,
& ingentes speciosissimorum titulorum, quibus sine omni au-
rium vulnere ornari volupe, sibi texunt corollas: Non
pauci porro, licet Acherontij, & in Proſerpina peculio jam
connumerandi, extentissimos vitæ peritura ſitiunt annos &
Laconismi ergò ſilentij meandris involvamus.

Hi ad unum omnes, qualiter qualiter, in diverſis fa-
bula ſcenis discretim collocati, gesserint sese, & ſpectatricis
turba applausum ſibi conciliare fuerint annixi, tandem ta-
men sine fabula uniformes redduntur uniuerſi. Id quod fit,
dum omnes hos personatos inexorabilis Libitina, quæ exti-
mas vitalis clepsydra, comœdiam terminantis, arenulas inſo-
pito ac pervigili oculo expectat, enecando actui fabula extre-
mo imponit colophonem.

Catastrophen hanc, communi fato, communem ex-
pertus est quoq; Divina Eruditionis pariter, ac Pietatis U-
triusq; J. D. DN. Cyriacus Herdeſianus, Electoralis
Brandenburgicæ ad Viadrum Academia Pandect. Ordin. per
multos annos cum laude Professor, Sympatriota, Amicus, &
Fautor noster singularis, Vir de Republ. literaria optime
meritus: Cujus vitæ prologum Patria nostra dulcisſima, ſce-
nas verò inſtititias, & epilogum Marchia regionum nobilis-

A3

ſima

sima, nec sine stupenda viderunt admiratione. Hic, dum
florente adhuc meliori aetatis parte (vixenim, nisi vehemen-
ter memoria sumus lapsi, 45. annum excefferat) Die The-
midi indefesso, nec unquam interrupto studio publica faceret
sacra, non ita pridem, ut innotuit, beato, eheu! inter liti-
os, & armorum clangorem, ex hac mortalium fabula disces-
su supremum, pestifera lue jam jam extinguendus, salu-
tavit actum, rebusq; humanis, magnum sui omnibus bonis
relinquens desiderium, plaudere & valere dixit

Hujus beatis manibus ut in hoc Amplissimo confesso
justa facerem imi subsellij homo, causa impulerunt non una.
Namq; ut conemunis Patriæ Genio exuscitatam silentio præ-
teream necessitudinem, tot tantiq; ræ uanae sit in me, ut po-
te cui per triennale spacium emiserim, fidißimus, fautor beni-
gnißimus, ac Parens alter fuerit honoratißimus, extant be-
neficiorum cumuli, ut hoc, quicquid est, in pijsimè defuncti
cineres grati animi, ac pietatis tessellæ, ab indiserto, can-
dido tamen, & Præceptoris sui amantissimo discipulo profe-
ctæ, multis parasangis superari videatur. Utinam autem,
A. omnium ordinum Præstantißimi, utinam, inquam, Tul-
lio cuipiam, aut Maroni hæc funebris dicenda, aut condigna
orationis, Viri hujus gravitatem, & honores illustrare, cu-
jus tamen omninò expertes, facundia valeremus! Verum
quia utrumq; nos deficit, neq; Herdesiani, jamdudum per or-
bem hunc, nunc cælos, sparsam famam, ut multis laudatio-
num sagittis ad nubes usq; evehatur, indigere arbitramur,
Vos etiam etiamq; rogatos volo, ut de præcipuis hujus virtu-
tibus mediocri eloquio edifferentem, per exigui temporis spa-
cio, faventia vestra favonio benivole sublevetis.

Etsi

Et si autem in ipso orationis vestibulo, dum de loco na-
tali, & communi Patria, de honestissima, ex qua Beatus no-
ster oriundus, familia, ac alijs, quæ in vulgus maximè pro-
bantur, externis fortunæ corporisq; bonis dissertationem in-
stituerè possemus, per amplas se offerat dicendi seges; ean-
dem tamen, ab instituti nostri ratione alienam autumantes,
impresentiarum præcidere adlubescit. Quid enim ad
rhombum, si vel de hac, quæ ab omnibus nostris, etiam exte-
ris, optimè audit Laribus, concivibus aliàs universis notissi-
ma; vel de illa, quæ togis sagisq; pro ingenio suo excellenti-
um satis ferax ingeniorum hæctenus non mediocriter incla-
rescit, in verborum nos demus laciniam? Quid avorum
imagines in atrio hoc exponamus, aut familia nomina longo
ordine, & multis stemmatum illigata flexuris inter primas
collocemus, cum Romanae sapientie Lumine notum magis,
quàm nobilem vivis coloribus depicturi? τὸ γὰρ εὐγενὲς ἐστὶ τὸ
ἐξ ἀγαθῶν γένους: γενναῖον δὲ τὸ μὴ ἐξ ἰσχυροῦ τῆς αὐτῆς φύσεως
succenturiat summus Philosophorum Princeps. Virtutis,
virtutis est generis splendorem conciliare, cuius adminiculo
novam peperisse nobilitatem, quàm ab avis, abavis, atavis,
tritavis acceptam corrupisse melius est existimandum. Ipsa
virtus præmium est sibi, canit Vates - solaq; late
Fortunæ securam nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuq; petit clarescere vulgi:
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus, ex altâ mortalia despicit arce.

Quod



Quod si verò natalium originem altiori mentis scrutinio in-
dagare, aut ex ijs aureolam quandam Nostro querere lube-
ret, quid Herdesianorum familia vetustius? quid clarius?
Aut unus Christophorus Herdesianus magnus ille avorum
nostrorum memoria & J.C., & Theologus ob egregium
suis opodoxiis posteris commendatum consensum celeberrimus
familiae huic lumen intulit; Aut Noster, ne dicam te
Clarissima superstitum Fratrum quadriga, majori, imò
(quod excellentissimi hujus ingenij Reipubl. literariae con-
secrati foetus affatim testantur) cum immortalis nominis fa-
ma auxit. At, ne praescriptis verbis contravenire reputemur,
nolumus his recensendis diutius inherere, cum D. Fer-
dinando, laudatissima recordationis Imp., in boni viri, &
boni vini originem curiosè inquirendum non esse, satius ar-
bitrantes. Licet autem τὸ μακροῦ ad famam celebra-
torem sat accessionis fuisset factum, si in immenso, cui se man-
ciparat, Jurisprudenciae campo felicem ingenij venam,
ducaus illa in unum praeclaram, exercuisset; Hoc namq;
Juridicæ studio, amplissimis constans articulis, (alia
enim juri Romano- antiquo est facies; alia à Justiniano
Imp. P. P. A. condito: aliud, jure Justinianeo alicubi non-
nihil immutato, Saxonum & Longobardorum moribus in-
troducendum; aliud Tyberini Patris, qui in templo Dei sedet,
tanquam Deus, κακοζυδία compilatum; aliud deniq; Reces-
sibus Imperij Romano- Germanici Imp. autoritate, & Se-
ptemvirorum ac Statuum Imperij suffragio in Comitibus sta-
bilitis est constitutum) hoc, inquam, studium si quis plenius
planiusq; excolere, si ad infinita hodierna Jurisprudenciae
volumina curam extendere, & per medium quasi profun-
dum jens, opus desperatum caelesti favore adimplere tentã-
rit

tantum aberit, ut unius, quod Imp. noster requirit in
annuennij spacio absolvat, speiq; preconcepta compos fiat,
ut potius ampliore multo temporum intercapedine sibi opus
fore experiri cogatur. Has tamen rei difficultate non ab-
territus Noster, quin tam Astraea huic, quam reliqua Mu-
sarum turba ad satietatem usq; litaret, & admirationem.

Etenim quae singula in magnis conspici ingenijs, & Viros
eruditos in sui stuporem rapere solent, ea universa amica
quadam conspiratione in hujus certarunt pectore. Quam
namq; literarum partem intactam reliquit divina haec &
non nisi ad magna nata indoles, in qua pernoscenda non ad-
bibuerit lucernam? Ut enim dictam boni & aequi artem, in
qua, & notorie, & extra controversiam, Doctor erat eru-
ditissimus, sicco praeferamus pede, tantum Domina ac Re-
gina artium Theologia cultum tribuit, & amorem, ut,
quod reliquis studijs, Professionem speciatim concernentibus,
furtim quasi poterat auferre omne tempus sacro Codici, san-
ctis Patribus, & alijs Ecclesiasticis Scriptoribus legendis gna-
viter impenderet: Unde factum, ut eum & publicitus, &
intra privatos parietes de maximè arduis Religionis nostrae
articulis sine omni adfectu candidè, ac eruditè differentem
magni nominis Theologi non immeritò fuerint admirati.

Civilis praeterea prudentia ac polyhistorias ita fuit gna-
rus, ut utra alterutri in nobilissimo hoc ingenio praepondera-
rit, dubij feramur. Sive hanc contempler, tam sedulus
historicarum arcularum fuit scrutator, ut rerum ab hac or-
bis machina condita gestarum memoriam, quo quaeq; non chi-
liade saltè, sed epocha, sed seculo, sed olympiade, sed anno,
ac, dixerim paenè etiam, mense accidissent, protinus habe-
ret in numerato; Sive illam non vulgarem, sed omnibus nu-
meris planè absolutam, cujus tam undecennali per praecipuas

Europe

Europa regiones & regna contiguâ peregrinatione, quàm
mutis consiliariis, noctu interdumq; evolutis tantam sibi para-
vit peritiam, ut & hoc nomine omnium mereretur favorem,
& Serenissimo Electore Brandeb. annuente, universo Sena-
tu Academico suffragante, omni pube Literariâ applauden-
te Publ. Histor. Professor, ubi, non umbratilis, sed ipsa Prin-
cipum Europæ Politiarum perlustratione, & singularium
arcanorum observatione saburratus Politicus Doctor Politi-
corum dictatorem Corn. Tacitum maximâ cum laude &
discipulorum commodo pertractavit, designaretur.

Quod si nervos ingenij in dicendi campis, vel otio in-
stitio explicare, & calamus pro lubitu saltem stringere ani-
mum induceret, proh! quàm petitis ex Rhetorum vasculis
pigmentarijs tincturis thema ornare, varijsq; rara erudi-
tionis notis interspersis expeditam ac profluentem tempera-
re poterat orationem. Orationem, inquam, non multis ver-
borum involucris intectam, non exilem aut concisam, sed
plano, florido, graviq; stylo undiquaq; equabiliter fluentem.
Alienissimus ab illa modernorum Rhetorum turba, qui insa-
no delectu, quicquid uspiam captar i potest exoletarum vo-
cum,

Actius, & quicquid Paccuviusq; vomunt,
nimis superstitiosè venantur, quibus nihil magis volupe, quàm
ut sermo stylusq; Oscorum & Aboriginum linguam pingvè,
& asperam referat novitatem; quos si audieris, eandem
cum Erasmo Roterodamo de ijs feres sententiam: Qui cum
perorantem Baptistam Pium, cujus oratio monstrosa admo-
dum, & inusitatis verbis erat referta, audiret, amico judici-
am ejus de Doctore hoc flagitanti, respondit: Longè vicin-
ioram opinionem. Quinam? subjiciente illo. Quia, inquit,
anteâ ineptum judicavi, nunc comperio hominem esse prorsus
insanum

Insanum. Huiusmodi farina impense succensuit Noster, qui non ex Paccuvianis, barbarorum aut semibarbarorum lacunis, sed ex fontibus Tullianis, & ut plurimum, ex latiori Digestorum oceano latij sermonis hauserat puritatem.

Sin verò eundem graviorum studiorum asperitatem amenitatis rei metrica condimento mitigare, aut Poëticum melos meditari tenebat prolubium, quis eum in hoc scribendi genere excellentem non probaverit? Quis huius eruditionis copia & mirifica varietate affluentem summis laudibus non ornaverit? Quis ipsum vel primipilorum nostro tempore Poëtarum choro suffraganeo voto non adjunxerit? Vidimus ejusdem lessus epicos, epithalamia, & alia pro materia varietate numeris varijs, idiomate vario, Attico, Latino, Celtico, Hetrusco, Iberico, Alemannico variata poemata: Vidimus in solemnibus quã plurimis Panegyricis orationis soluta divitias, & artificia: Vidimus quae ad utrumque jus elucidandum facerent, commentationes, politissimos ingenij fetus, omnium voce ac calamo decantatos: Summa quaecunq; in virum omni literatura excellentem, nullaq; non laborum aut molestiarum mole non frangendum, cadere possunt, vidimus. Tantum enim absuit, ut susceptorum ille muniarum onere, adversa Hygiæ, & alijs mortalitatis gravatus pressuris animum desponderet, Spartamve, quam nactus erat, desereret, ut potius ijsdem magis magisq; obfirmaretur, & quodvis, Divino Numine perpetim adspirante, sarcinarum aequor ita feliciter enavigaret, ut non raro decumanis exantlatis laboribus latitiã perfunderetur insolitã.

Profectò ita res est A., in animo sapientis serenum est semper, semper ille sui juris, sibi addictus, sibi vacat, nec circumstrepentibus externis huiusce strepit hulum. *Arma licet,*

B 2

tuba-

tubæq; & litui circumsonent, ardentes clypeos, atq; ætæ mi-
cantia cernat, tamen animus, tamen in pertexendo cepti o-
peris filo pergit sapiens. Quid? quod illud lectitandi, scri-
ptitandi, & commentandi sub manibus cum voluptate succe-
dens opus Prudentum nemo ullo nec ære, nec auro, ne sceptris
quidem ipsis, nedum fascibus & infulis, apud vulgus splen-
dorem venditantibus, permutet? Scilicet ut stellarum orbes
admirabili celeritate cursus suos conficiunt sine sensu labo-
ris, sine radio lassitudinis, & in perpetuo motu nunquam de-
fatigantur: Ita mentes, quæ cælo plurimum imputant, ipsa
contentione animi virium reparari ac refici videntur.

*Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumq; ferro.*

Nolo jam reliquarum artium liberalium facere men-
tionem, quibus tam excellenter eruditum pectus gerebat No-
ster; ut ob publicè ac privatim ipsam navatam, spectatam
probatamq; operam in Clarissimo illo Musarum, & Charis-
tum theatro, Heidelbergensium nîm. Universitate sum-
mos in Philosophia consecutus fuerit honores: Nec lubet hæc
vice multiplicium exoticarum, quæ polluit, linguarum ex-
quisitissimam multis verborum lenocinijs commendare cogni-
tionem. Præcis Romanis miraculo fuit, & magnis celebra-
tus encomijs, qui duarum saltem gnarum esset linguarum &
quandò magis stuperent hunc: Nostrum non duorum, sed plu-
rium, sed primariorum, eruditum maxime decentium, idio-
matum scientissimum. O divinum ingenium! O clarissi-
mum Reipubl. literaria lumen! Dignum certè, ut posteris
emulandum proponatur exemplar, cujus in Honoris ac Famae
templa

Templo, ad eternam rei memoriam, virtutum collocentur in-
fonia, nullis, nec hominum, obliteranda injurijs, nec avi.
Hoc effato nostro, & ad literarum studia intermoriente, se-
culo quod tam pauci ad Romana antiquitatis, & solida do-
ctrina apices penetrant, quid mirum? Per multos anfractus,
& viarum diverticula, quando tot linguis, confuse satis ac
diffuse ad discendum propositis, tot interjectis temporum mo-
mentis distrahuntur ingenia, ad eruditionis calmen sero est
adrendum: Paucissimi, quibus tam alte natura nihil con-
stituit, quò virtus eorundem non possit eniti, ex his eluctan-
tur labyrinthis, vel methodi, quam dextro forte fortuna si-
bi finxerunt Mercurio, Ariadnae facilitate adjuti, vel insi-
tã ingenij vi sufflaminati. Ubi contra res planior multò a-
pud antiquos, unius tantum idiomatis indigos, Romanos, &
in primis in vernacula philosophatos Græcos, qui ab omnibus
his molestiis devorandis fuerunt maximè immunes.

Verùm ne in lassandis his, in qua prolapsi sumus, ver-
borum avibus nostra sese conterat oratio, agite, nunc, qua de
Beato ad dicendum videbuntur, reliqua lacunismo perstrin-
gamus. Nimis autem prolixum foret, si de ceteris in hoc
pectore sese mutuò prementium, ac quasi perimentium, vir-
tutum cumulus sermonis filum ducere, animum impelleremus,
sigillatim. Sive enim de paterna ipsius in suos σοφῆν, hone-
sta educatione, liberali institutione, & sedula rei familiaris
procuracione (nam nec hæc magnos, magno licet negotiorum
onere obrutos dedecere Viros putandum est) verba facere
vellemus, oratio non deficeret: Sive de impenso in Patrios
lares, & omnes ὁμογενεῖς, quibus sine allã temporis aut oc-
cupationis exceptione auxiliis & consiliis suis erat præsto,
amore edisserere instituti esset nostri, nec sic oratio desineret:
Sive de subjectissimã in Magistratum suam reverentiã, pro-

penſa in Almam Viadrinam obſervantiâ, amabili cum Dno,
Collegis concordia, candore in univerſos, & cujuſcunq; condi-
tionis mortalem juvandi promptitudine ſermonis prodigii ave-
remus, neq; ſic exitum inveniret. Unicum tantum virtu-
tum omnium Imperatricem Euclyas, à nullo encomiaſte ſa-
tis ſatisq; celebrandam in hoc Jctorum coryphæo admirari
magis ac ſuſpicere, quàm multis verborum ambagibus adum-
brare animus eſt.

Quandoquidem enim omnis, omnium licet naturâ u-
ſuq; conjunctiſſimarum virtutum ſerie prædita, niſi ad divi-
nam hanc Helicem & Cynofuram tota, tota dirigatur, man-
ca, mutila, imò impia eſt ac vana noſtra eruditio, quis hoc
ſidas in cunctis actionibus, & conſiliis coram Jehova noſtro-
rum operum facie inſpectrice peragendis, ſtudioſè non obſer-
vet? Quem temporalia & æterna, quibus ſui beat amato-
res, ad illius cultum non alliciant reſhoſtimenta?

**Numen colenti cuncta Numen dirigit:
Tantum colas pietatem, at imo in pectore:
Non in labellis innatantem primulis:
Pietate verâ nulla vis valentior,**

sanit noſtra ætate haud ignobilis Vates. Et quia hæc
ſine, ut dictum, omnia noſtra ſtudia vaniſſimè vana, & Phi-
loſophus, moroſophus; Medicus, mendicus; Jurisconſultus,
Juris tumultus; Theologus, cacologus exiſtit. Ideo non in-
juria Noſter, quò juris Juſtitiaq; religioſiſſimus Antistes &
audiret, & re eſſet vera, non minorem in Pietatis, quàm
Themidos, aliorumq; ſtudiorum cultura, curam ſibi collocan-
dam, firmiter ſecum habuit conſtitutum. Neq; enim latebat
piſſimum

piissimum hunc Jurisprudencia Sacerdotem, inculcata emi-
nere vita maximum in Legum Oratoribus ornamentum, &
Politijs, non ἀπολόγους, ac ad quasvis, etiam bonas causas,
Φιλαργυεϊας studio calumniandas, callidis Legulejis, sed ve-
ra, non fucata aut ostentata, Pietatis ad justitiam promo-
vendam desiderio accensis causarum abundare Patronis ma-
ximi interesse. Ea propter ille & vita sanctimoniâ cun-
ctis præire, & Studiosam pubem, dum, publicas lecturas tam
precibus auspiciatum ibat semper, quam iisdem colophonem
semper imponebat, mellifluâ Suadâ pietatis commonescere,
precari, hortari, obtestari, quin nonnunquam, si temporis
& officij ratio postularet, severius increpare erat assuetus.
Ex quo ἰσοθεϊας ardore id consecutus est boni, ut & ad mayo-
rem in studiis continuandis Zelum inflammaret discentes, &
ipse in omni generis, quibus impeteretur, adversitatum
fluctibus animum non abijceret, nec, si earundem concutere-
tur vehementia, plus justo doleret, ut potius ardentiores ad
Salvatorem suum funderet preces, eoq; magis, hujus morta-
litate affectus radio, beatam illam cum D. Paulo ἀνάλυσιν
conceptis expetere disceret votis, semel vitæ filum incidi,
quàm continuis calamitatum ponderibus premi optatiùs du-
cendo.

Quòd si accuratiori mentis trutina ponderare velle-
mus, qua paucis retrò annis, imò usq; ad suprema fata, eum
arietarint mala, Deum immortalem! quanta heic seges,
quàm ei Mortis, Sortis, Martisq;, totam hæctenus ferè Ger-
maniam vastantium, cruentantium, funestantium, furia
molestias crearunt peracerbas. Brevi temporis interstitio
primi thori Libitina eripitur Conjux; diem obeunt Paren-
tes; charissimorum pignorum triga immaturum natura de-
bitum solvunt ac luctuosum; Fortunarum deniq;, dum in
perpetuo

perpetuo contributionis militaris coqueretur catino, dum
Bellone furores experiretur & direptiones, magnam partem
facere coactus est jacturam.

Nostrum equidem aliquis inclinante hoc ævo, ubi de
summa rei regiones & regna Martio cruore, rapinis ac Vul-
cani favillis passim conspersa periclitantur; ubi hac mundi
machina inter tot cælo terraq; prodigia fatiscere non semel
visa; si communi malorum saburra, ac dolorum, quibus mi-
nutatim quasi extorquetur anima, angeretur astuario, non
immerito animo ringi possit, aut cordolys planè exanimari:
At noster cuncta hæc, forti ac patienti animo sufferendo, lon-
gè superabat, nihil secius, quod sui esset muneris, irretortè
in musum regis iustum oculis defixis, peragens intrepidè,
usq; adeo, ut nec ab ardentissimo Numinis cultu, nec à juris
justitiæq; tramite, nec lecturarum & panegyrium publica-
rum continuatione latum dimoveri posset unguem: Imò na-
tive inspicias vetis in mentis arcem subvectus mortalia hæc
despiceret supernè; Scilicet ut arbores, quò se vius vento-
rum agitantur furis, altiùs radice terram comprehendunt:
Ita quoq; cum nostro comparatam erat Herdesiano, qui ex de-
cumanis concatenatarum adversitatum febris maxima sibi
sumferat virtutum & consolationum incrementa.

Tanto insuper verbi divini Philoioias, & veri ac sub-
stantialis corporis ac sanguinis Salvatoris sui J E S U
CHRISTI in tremendo illo sacre Synaxeos mysterio crebrò
participandi ardebat amore, ut tam Redemptorem sibi habe-
ret propitium, quàm eidem secum fidei addictos, ad consimi-
lis ioveias inflammaret emulationem. Tanta deniq; præ-
ditus erat fidei πνευματικῆς, ut cum Hipponensium Presule
D. Augustino tum omnia presentia presentis vite mala su-
peraret, forti futura bona animo speraret; tum in illà Chri-
stiane

stiana Philosophia parte, quae vasa quotidie conclamare, & mortis faucem quovis momento opperiri docet, ita erat exercitatus, ut ad illud, cui per totam vitam operabatur, aeternitatis ostium contrito spiritu perpetim anhelaret.

Hac in filiali in Servatorem fiducia, hoc in Libitinam adfectu, hac in Pietatis & perennium precationum palaestra, quin lae pestiferâ correptus supremam fati eheu! a meo donâ-
ta legem constanter fortiterq;, beatissimè obdormiscens, exce-
perit, quis dubitet, titubetvè? Hic finis, quo demum,

verae voces pectore ab imo

Elicuntur, & eripitur persona, manet res,

Herdesiano fuit vestro A.; taliter vitae suae fabulam consum-
mavit: Non, ut inertes Poetae, in extremo Comœdiae actus
corruens, sed recto pede, agni ab origine mundi mactati, san-
guine conspersus, ejusq; integumentis intectus, ex his mortu-
libus, felici saltu, ad immortales scenas transfiliens.

Philemonem Poetam, Menandri æmulum, veterem
comœdiarum scriptorem, cum fabulas cum eodem in scena di-
staret, jamq; tertio fabula recens facta, actu, quod genus in
comœdia fieri amat, jucundiores moveret affectus; imber re-
pentino coortus, differre auditorij cœtum, & auditionis cœ-
ptum coëgit, reliquum autem, variis, sine ulla interjecta
mora continuari, postulantibus, die sequenti se absoluturum
promisit. Convenere igitur postridie maximo studio ingens
hominum concio, seseq; quisq; quam proximè collocat ex ad-
versum, loca commoda singuli capiunt, extimi quiq; excu-
neatos se queruntur. Fartototo theatro, qui non affuerant
hesterna luce, inter se quiritari occipiunt, mox percontari
antè dicta. Qui affuerant, audita recordari, cunctiq; jam
priorum

¶

priorum

priorum gnari sequentia expectare. Interea sensim elabi
dies, neq; Philemon ad conditum venire. Quidam tardi-
tatem Poeta musitare, plures defendere, donec momentum
extraheretur è momento. Sed ubi diutius equo sedetur, nec
Philemon usquam comparet, missi ex hominum coetu, qui ac-
cipient, promtiores. At verò illi eum in suo sibi lectulo mortu-
um offendunt. Commodum is edita anima obriguerat, jace-
batq; incumbens thoro similis cogitanti, adhuc manus volu-
mini implexa, adhuc os recto libro impressum. Sed enim
anima jam vacuus, libri oblitus, auditorij securus.

Stetere paulisper, qui introierant, percussi tam
inopinata rei, tam formosae mortis miraculo. Deinde re-
gressi ad populum, Philemonem Poëtam, qui expectaretur,
ut in theatro fictum fabula finiret argumentum, jam domi
fabulam consummasse veram. Etenim jam dixisse rebus hu-
manis ultimum valere & plaudere, renuntiarunt.

Idem τὸ μακαρίτη Nostro, ἔμνημα ἐν εὐλογία, A. Amplissis-
mi, quod Philemoni, quod auditoribus istius, idem hujus ac-
cidisse comperimus. Dum enim operi, Viadrina expugna-
tionis imbre interrupto, impensius, more solito, intentus es-
se, suumq; denuò auditorium pollucibili de se concepta spe,
quam elegantissima preliminarium fecerat, beaturus, juriq; ci-
vili cum nobili Politices doctrinâ conjuncto, studijs amplissi-
mis, celebriori cum nominis fama colophonem impositurus vi-
debatur plausibiliorem, Ecce! prater omnium expectatio-
nem, quò minus promissis staret, aut inceptam operis telam
attexeret, huic mortali, felici collybo; cum immortalis, in
mortis articulo, commutata, inopino, sed formoso fato fabu-
la eripitur.

Ah miseri homunculi, qui, quod funus oleat, aut pollin-
turam, pra naturalis vitae dulcore raro cogitamus, quam
brevi

Brevis sumus ævi, brevioris certè, quàm flores, aut florum
umbra, aut si quid umbra vanius, brevius! Quàm multis
afficimur, catharro, pleuritide, phthisi, arthritide, anasar-
ca, hydropè, & sexcentis aliis morborum generibus! Quàm
multis, ut scythala & mundi catharmata, direptionibus, tor-
mentis, stupris, veneno, belluis, ferro, flammis, expositi su-
mus periculis!

Quid ergo tam ignobile ævum per contigua vitia eme-
timur? Quid longas spes precipientes tantam suspicimus re-
rum molem? Quid adhuc, mortalitatis memoriam abjicien-
tes, non tartara horremus, nec cælum adspiramus, nec hanc,
quam, per Dei gratiam, vivendo extrahimus, decretoriam
putamus horam?

Verè miseri, si ita miseri! O tandem probè hæc omnia
ruminemus! O tandem tandem, dum gratia divina pate-
scunt fores, resipiscentes tædio hujus ducamur mortalitatis!
Inter sevisimos Oceani fluctus tabula ludit nemo; Ab ingen-
ti precipitio pendulus scelera meditatur nemo; Inter medios
armatos hostes inermis hilarescit nemo.

Sed quò dilabimur, A., jam dudum abruptum fuit
orationis filum, ne tam publica, quàm privata negotiorum
sarcina gravatos Vos, quibus omnibus & singulis de benivo-
la auscultatione, & suprema Beato Herdesiano persoluto ho-
nore, vel ipsi ejusdem cineres summissas mecum agunt gratis
& diutius detineamus.

Jam videor mihi univensum Musarum contemplari
chorum, ritu lugubri incedentem, gementem,
opplorantem; Videor Themiden atro velamine ve-
stitam, justa facientem, suas vices quiritantem; Videor
longissimam Virorum pariter, ac Juvenum eruditissimorum
coronam concomitantem, luctu gemituq; diffluentem intueri;
Imò hi ipsi parietes, hæc subsellia, hoc auditoriam, qua B.
Nostrum

Nostrum, eheu olim! cum stupore ac veneratione audierunt
una commoveri ac contristari videntur.

At tu HERDESIANE, qui egregiam brevi tem-
poris intercapedine fabulam egisti, absolvisti, Tui, Tuorum
Patriæque tue decus æternum, beatitate circumfusus æternâ
plaudito valetosempiternum.

DIXI,





CL. DN. HERDESIANO p. m.
SACRUM:

SI mihi parva foret facundæ gratia lin-
(gvæ,
Musaque Castalijs labra rigasset
(aquis,
Herdesiane tuam ferrem super æthera famam,
Versibus & semper Tu legerere meis.
Major at es nostris, ô Juris ocelle! Camænis
Major & es Genio, major & Ingenio.
Te Themis, Eusebies, Clio, te Suada, Thalia,
Phœbusq; ut vidit, vidit & obstupuit.
Quid? quod ut ipse tuos Mars vires, Mortaq;,
(Sorsq;
Sensit, ut obstupuit, contremuit, gemuit!
Nunc Sibi, nunc Patriæ decus est, cluit urbis
(& orbis
HERDESIANUS amor, HERDESIANUS
(honor!

L. M. Q. posuit

B. W. J. U. Studiosus.

HERDESIAANUS AMOT, HERDESIAANUS

CL. DN. HERDESIAANO P. M.
SACRAM:

I mihi paria foret facunda gratia hie
(Eve)
Mulsque Cassala: labia rigaliter
(adus)

Herdesiane tuam ferent super aethera laetam
Veribus & semper tu legere meis

Major atq; nostris, o paria oculis! Carminis
Major & es Genio, major & ingenio.

Te Themis, Eulchies, Clio, ce surda, Thalia
Phacbulq; ut vidit, vidit & obliquit

Quid, quod ut ipse tuos Mares vites, Morsq;
(Sord)

Sentit, ut obliquit, conterritum, genuit
Nunc sibi, nunc Patrie decus est, cluit vrbis

(& orbia
HERDESIAANUS AMOT, HERDESIAANUS
(honori)

L. M. Q. posuit
B. G. J. L. Studiolus





MEMORIAL
OF
GEORGE
LIXTH
ORATIO

CHRISTOPHORUS SCHRAEDER
BAPTIST IN KANTON WIL

IN THE
OF THE
OF THE
OF THE




Nr 2890.

8

ULB Halle

3

005 131 677




Handschriftliche
Verzeichnisse, No

V377

MC





HERITARIORE APODE
BEATIS CINERIBUS

VIRI

AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI
& Excellentissimi, Dn.

CYRIACI
HERDESIANI,
Phil. & JC.

In Illustrissima Electorali ad Viadrum Academia
FRANCOFURTANA celeberrimi, & Pan-
dect. Profess. Ordinarij &c.

In Illustris Gymnasij SERVESTANI audito-
rio dictus memoriter

BALTHASARE VVIRCKERO
Bernburg. Anhalt.
M. August.

SERVESTAE
TYPIS ANDREAE BEZELII
Exscriptus

ANNO

Veni Domine Jesu, VoCarls, Jesu Veni. (ibsi.)

Viro
Ampliss. CL. Pro
fimo ac Doctissim
Petro a Sena
Serrvestanae Consuli
Illustris Gymnasii
ibid. Prof. D. dign
Fautori, Praeceptor
Promotori atadem
mittit
Hw